

FK  
118  
29

*De Septem mundi miraculis veterum*

426  
II e  
152

X1860447

HUC ADESTE  
QVAM FREQVENTES  
URBISHUJUSINCLUTÆ  
PRÆSTITES,

<sup>2vos</sup>  
FAMA DUDUM NOBILIS POLO  
INTULIT.

ORBIS OCTO  
VESTRI ALUMNI  
PROFERUNT MIRACULA,

ELOCATE  
VOS VACIVAS  
AURIUM MODO DOMUS;

NAM  
PRECATUR HOC  
EORUM

RECTOR IPSE NOMINE  
M. JUSTUS Gottfriede Rabener.

FREIBERGÆ, Literis ZACHARIÆ BECKERI.



9994







**S**EPTENARIO ut multa alia, ita & mundi miracula censentur numero, non quod nihil præter hæc memorandi operis toto terrarum orbe visum sit; sed quod hic etiam præjudicium suum canæ antiquitatis consensus interponit. Sive enim sumptuum magnitudinem spectes, sive structuræ artem, Capitolium, Amphitheatra, moles & pons Trajani, templum S. Sophiæ Constantinopoli à Justiniano erectum, Escuriale à Philippo II. adornatum, Muri Sinici, aliaque numerum hunc augere potuerunt. Sed cum jam olim usitatum fuerit antiqua saltem mirari, nostra fastidire, Muros Babylonicos, Hortos pensiles, Pyramides, Templum Dianæ, Mausoleum, Colossium, Jovem Olympium discipulis meis elaboranda proposui, addito insuper supplementi loco Hierosolymitano templo. De fatiis autem & interitu horum operum certi quid in medium afferre incertus labor est, atque intricatus. In me tamen recipiendum esse judicavi, quicquid hujus est oneris, cui si humeri parum respondebunt, nec ad unguem ubique fecero fatiis, historiæ silentium veniam mihi impetrabit.

Et habent quidem antiquitatis prærogativam muri Babylonicus, si eos à Nino vel Semiramide conditos credimus. Hi tempore Alexandri M. post tot secula adhuc superstites, donec sub Seleucidarum imperio eodem, quo urbs ipsa, fato perierunt exhausti vicinitate Seleuciæ, ut Plinius loquitur l. 6. c. 16. quia Seleucus hac fini urbem intra nonagesimum lapidem sibi cognominem condidit. Ex quo simillimum verò evadit muros Babyloniæ destructos in usum urbis novæ, lateres coctiles translatos, ex quibus hodie etiam muros urbis Baglat, quæ est ipsa veterum Seleucia, constare novimus teste classico Taverniero pag. 89. Neque tamen ita Babylonicus sunt destructi, ut non hodie etiam rudera illius multa compareant ea latitudine, ut vel senis curribus viam dent (daß darauß wohl sechs Carossen neben einander fahren könten/) verba sunt ejusdem Tavernieri pag. 92. Nec dubium quin idem casus affligerit hortos pensiles. Urbe enim desolata non erat, quod huic operi parceretur. Annum verò destructionis nominare difficile, si non impossibile. Sensim quippe desolata carpuntur, & per lenta detrimenta tandem evanescent, sicut & nunc Arabes vicini lateres ex muro vendere solent. Magnus quidem Scalliger *Animadvers. Euseb. pag. 120.* tandem anno Christiano 1037. solo æquatam urbem, sed nescio unde prodit, & nos jam alio programme de hac re egimus.

Sequntur Pyramides, quas solas post tot hominum ætates incolumes præstitit, à bellorum forte injuria sepulchrorum religio, à temporum situ tum aeris temperies, tum ipsius structuræ ratio. Neque enim Ægyptus pluvias sentit, nisi raro, & saltem in littore circa Alexandriam, & reliqua Nili ostia, quæ apud nos tantum non firmissima quæque opera exedunt. Istud tamen observatum, in eo latere, quod Boream spectat, emollitam esse lapidum duritiem, compagem solutiorem. Agnoscere hanc causam videtur Bellonius, qui ex tot Pyramidibus Ægypti ne unicam quidem adeo vitiatam spectari, uti Romanam fatetur, cujus Iconem vide fodes apud Boissardum *Antiq. Rom. part. 2.* Architectonices ratio ista, ut sensim vastissima saxa triginta pedum longitudinem æquantia, ut Herodotus dimensus est, introrsum & per gradus singulos durescente latitudine in fastigiatum opus exsurgant. Videtur autem iste ædificandi modus quodammodo naturalis. Namque & pueri nostri, si tessellatos nacti fuerint asserculos, ita alterum alteri imponunt, ut acuminatulas quasdam pyramides moliri velle videantur. Facit ad firmitatem molis



molis, quod pondus saxorum introversus ad centrum suum, unde pari spatio distant in singulis aggestionibus omnia, declinat insigni æquilibrio. Et ne interius istud cavum luxandi copiam præbeat, fornicatis ibi cameris egregiè sustinentur. Mecum hic facit oculatus testis Dn. de la Valle p. 100. qui aggestos hosce montes firmitate sui etiam terræ motui resistere posse iudicat. Reliqua in eam rem vide apud Kircherum *Oedipi Ægypt. Tom. II. parte altera pag. 292.* Mirari itaque subit, quid Dn. Meyfarto *part. 2. cap. 30. Hierosol. cælestis* in mentem venerit, cum scriberet ex Pyramidibus nullum superesse vestigium, nisi in literis. An forte illud Propertii in errorem induxit?

*Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,  
Nec Jovis Elei cælum imitata domus:  
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri  
Mortis ab extrema conditione vacat.*

Sed solet aliquando etiam magnis ingeniis memoria quid subtrahere. De numero autem superstitum variant varii. Bellonius plusquam centum superesse vult, Baudrandus viginti, Razevilius septendecim. Nobis sufficit tres tantum meruisse, ut inter miracula orbis censerentur, quam dignitatem etiam hodie illæ tuentur.

Quartum calculum meretur Ephesæ Dianæ templum infinitis totius Asiæ sumptibus olim ædificatum. Id natali die Alexandri M. ab eo, (cujus nomen merito ex memoria hominum proscribendum) Herostrato incensum conflagravit, sive is Phlegyas potius vocatus est, forte *διὰ τὸ Φλέγας*, cum scilicet, si virgini placet, abesset Diana, ut obstetricis partes apud Olympiadem puerperam obiret. Voluit quidem ille Rex, quæ erat magnificentia, suo sumptu restaurare templum, si saltem supremo fastigio nomen suum inscribere vellent Ephesii. Sed ò generosam contumaciam, nec minus prudentem! Recusarunt illi causam interferentes, fas non esse, ut Numen Numini, Alexander Dianæ ædem consecraret. Hoc sale ille perfrictus desit se Dianæ cineribus ingerere. Civium tamen impensa multo amplius fanum surrexit, cum ante angustius esset. Et alterum quidem istud stetit ad Apostolorum usque tempora, quod quo pacto interierit jam dispiciendum. Clemens Alexandrinus in Parænesi ad gentes Sibyllam prædixisse ait, fore ut hiatu & terræ motu templum absorberetur. Verba illius ita habent *pag. 24. αὕτη Σύβυλλα ἐρέει-  
πια τὸ νεῶν παραγορεῖ, τὸν ἰὼν τῆς Ἐθεσίας Ἀρτεμίδος χάσμασι καὶ σεισμοῖς καταποθήσει τὸ  
μνηῶσα.* Et exstant versus *p. m. 189.* Non disputo, quæ fides Sibyllinorum. Eventus certè absuit. Quæ enim hiatu absorptum esset, cujus rudera ipse Clemens superfutura esse testatur, & superesse hodie *αὐτοψία* multorum confirmat? Tavernierum dico *p. 34.* & Jacobum Spons *Itin. Curios. p. 68.* alios, quos Dapperus habet *pag. 246.* Asiæ Minoris, qui uno ore arcum quendam, & cellas subterraneas interitum effugisse ajunt. Sed forte, quisquis ille Sibyllinorum autor fuit, aut eo respexit, quod Ephesus olim in palustri & declivi loco sita ab inundatione aquarum damni quippiam passa esse legitur, priusquam à Lyfimacho in altiore transferretur; aut Plinio contradicere voluit, qui ob hoc ipsum ædem loco palustri ædificatam esse vult, ne terræ motus, aut hiatus sustineret. *lib. 36. cap. 14.* Non quidem ignoro Nicephorum, hominem qui fidem jamdiu atque pudorem decoxit, *lib. 1. c. 17.* inter urbes duodecim, quæ terræ motu tempore patientis Christi collapsæ fuerint, vel præcipuè numerare Ephesum. Sed corruerit sane, has tamen, quæ ostenduntur ex flammis potius, quam terræ concussione, puto esse reliquias, à qua vel imprimis fundamenta solent labefactari. Scythæ tandem sive Gothi templum à Nerone omnibus ornamentis, spoliatum sub Galieno Imperatore incendio deleverunt. Testem do satis locupletem Trebellium Pollionem *in Gallienis p. m. 15.* Quamvis enim ipsa urbs splendorem pristinum aliquo modo receperit, fanum tamen jam invalescente Christianismo (quippe & Patriarchatus dignitate Ecclesia illa gaudebat) desertum mansit.

De Mausolei casu jam dicendum foret. Enimverò hic historia hinc, aut notitiam nostram, quamvis omni cura vestigaverim, fugit. Ab Alexandro excisam

Hal-



*F. H. 152*  
Halicarnassum, excepta arce Diodorus habet. Sed ex hoc excidio renatam apud Livium *lib. 37.* legimus. An forte terræ motu concidit, quos in ea Asiæ parte frequentissimas Cassiodorus, Prosper & Marcellinus Comes observarunt? Nihil definitio. Placet interea ex Jacobi Spons copiis satisfacere, qui ita *pag. 74.* Was die Stadt Halicarnassus anlangt/ ist es schon lange Zeit/ daß sie zerstöret/ und siehet man davon noch grosse rüdera an einem unbewohnten Orte Boudron genant / gegen über der Insel Cos. Inter hæc autem rüdera Mausolei parietes agnoscere quis poterit? Munsterus quidem in *Cosmographia* adhuc demonstrari ait cum ipsa urbe *pag. 1277.* Consentiant Sophianus & Vadianus, quorum ille Mesi hodie illam vocari, hic Castellum S. Petri tradit. Ego verò fidem meam Jacobo Spons addico.

Nec minor difficultas ostendere, quoniam Olympius Jupiter pervenerit. Damophonem quendam simulachrum hoc solutis jam vetustate eburneis compagibus ad unguem exactissime coagmentasse Pausanias memorat in *Messenicis pag. 255.* Sed nihil hæc ad nostrum Bacchum. Tempore C. Caligulæ nondum interiisse satis constat. Hunc enim Svetonius a teo infantiæ processisse, ut in *mandatis daret, simulachrum istud è Grecia apportare, ut dempto capite suum imponeret.* Hæc ille *cap. 22.* Dio Cassius *lib. 59. pag. 662.* qui factum fit, quo minus istud perficeretur aperit. τὸ γὰρ πλοῖον, inquit, τὸ πρὸς τὴν κορινθίαν ἀπὸ τῆς ναυπηγηθῆν κερρανοῖς ἐφθάρη, καὶ γέλωσ ὁσπίκις πινὲς ὡς τὸ ἔδωκε ἑθαψάμηναι προσήλθον πολλὸς ἐζηρέετο. hoc est: Namque & navis ad advehendum extructa fulminibus perit, & risus quoties aliqui simulachrum saltem tacturi accedebant multus exauditus. Plura addit Josephus *Archæolog. lib. 19. cap. 1.* Quid autem de hoc Jove factum fit, postquam hoc capitis adulterini periculum effugit, ipse viderit. Ego quidem, cum ignarissimis novi. Si conjecturæ tamen locus, credibile est à Christianis denique destructum templum. Elidem certè urbem (Pisam alii, aut Olympiam vocant ex vicinitate confusione orta) illius hospitam hodie sub nomine Calloscopii celebrari Hofmannus autor est in *Lexico.*

Restat jam solus Rhodiensium Colossus, cujus ut ætas minus vivax, ita certior, ut ita dicam, annus emortualis. Ex Plinii enim *lib. 34. c. 7.* discimus, ingentem hanc leptuaginta cubitorum statuam, (decem igitur saltem cubitis major fuit, quam Nebucadnezaris ille aureus gigas, qui si totus aureus fuit, quò Svaningius inclinat *Comment. in Daniel p. 307.* nemo pretium computaverit, cum æneus noster & cavus trecentis talentis constiterit & tot camelos oneraverit) post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratam. Includit hoc factum Joh. Ludovicus Gotofredi in annum Mundi 3727. qui est ante Christum natum, ex Bueholzeri calculo 244. Jacuit per annos 875. quod Rhodii ex causa quadam, quam Strabo aperire dubitat, prohibiti erigere noluerunt, donec Saraceni anno Christi 653. Duce Muhavia Ægypti Calipha Rhodum occuparunt, ubi es Colossi Judeus quidam mercatus 900. Camelis fertur asportasse apud Zonaram *annal. Tom. 111. p. 134.* Jam certum est camelum quatuordecim centenariorum uti jam loquimur, pondus gestare. 12600. centenarios ergo tota moles implevit, quæ res vel in stuporem conjicere posset lectorem. Multum verò minueretur admiratio, si cum Volaterrano 90, saltem jumenta legas, quod tamen ex mendo esse suspicor. Templi autem Hierosolymitani fata ex S. codice, Josepho Egesippo notiora sunt, quam ut quis operam nostram hic desideret. Juliani conatus quam irritus fuerit Ammianus *l. 23.* & quos ad hunc allegat Lindenbr. *p. 126.* loquantur. Istud certum Turcicam hodie Moscheam in ejus area, forte ab Omaro, cujus Cedrenus meminit, fuisse erectam. Contenti igitur simus hoc Catone, qui si se parum probaverit eruditioribus, mihi certè invidiam facere non debet, homini & satis occupato, & à bonis libris malè instructio. Intempestivum quoque fuerit alieno loco veniam præfari. Vos potius appello, urbis nostræ Proceres, Scholæ Patronos, ut, quando quidem communis mensæ alumni jam auspiciis vestris, ductu meo primum in arenam descendunt literariam, frequentes convenire velitis. Favete optimis adolescentibus, ad diem 25. Septemb. qui eum esse quæstum in animum induxerunt maximum, quam maxime vobis placere. Ex his

Gottlieb Augustus Pezoldus, Galenzio Misnicus præfabitur.

Joh. Andreas Damm/ Mittvveid. Spectandos dabit Muros Babylonicos.

Christianus Gottfried Georgi, indidem Hortos pensiles.

Augustus Schirmer/ Pappendorf. Templum Dianæ.

Johann George Tiese/ Gottleuben. Jovem Olympium.

Gabriel Zeppel/ Waltersdorf. Pyramides.

Nicolaus Haberland/ Oederanus Colossum.

Augustus Möller/ Dippoldiswaldâ Mausoleum.

Georgius Gottlieb Wagner/ Freib. Templum Hierosolymitanum.

Johannes Tobias Linse/ Herzogiswaldâ, concionem dimittet.





# Eptenario ut multa alia, ita & mundi mi-

racula censentur numero, non quod nihil præter hæc memorandi operis tate tamquam in orbe visum sit; sed quod hic nã antiquitatis consensus in- um magnitudinem spectes, si- um, Amphitheatra, moles & S. Sophiae Constantinopoli a le à Philippo II. adornatum, erum hunc augere potuerunt, fuerit antiqva saltem mirari, Pyramides, Templum Dianæ, s meis elaboranda proposui, templo. De fatiis autem, erre incertus labor est, atqve i, quicquid hujus est oneris, ubiqve fecero fatiis, historiæ

nostra fastidire, Muro Maufoleum, Colossu addito insuper supp & interitu horum op intricatus. In me t cui si humeri parum silentium veniam mi

Et habent quide vel Semiramide conc adhuc superstites, dor rierunt exhausti vicin urbem intra nonagesi verò evadit muros B translatos, ex quibus cia, constare novimus lonici sunt destructi, tudine, ut vel senis der fahren könten/) verba casus afflixerit hortos parceretur. Annun Senfim quippe desola cut & nunc Arabes v liger *Animadvers. Euseb.* bem, sed nescio unde

Seqvuntur Pyrar stitit, à bellorum for temperies, tum ipsius raro, & saltem in litte tantum non firmissim latere, quod Boream f orem. Agnoscere ha gypti *ne unicam quidem* fodes apud Boiffardur vastissima saxa trigint est, introrsum & per surgant. Videtur autem ite adificandi modus quodammodo naturalis. Namque & pueri nostri, si tessellatos nacti fuerint asserculos, ita alterum alteri imponunt, ut acuminatulas quasdam pyramides moliri velle videantur, Facit ad firmitatem molis



uri Babylonici, si eos à Nino Alexandri M. post tot secula odem, quo urbs ipsa, fato pe- 7.6.16. quia Seleucus hac fini condidit. Ex quo simillimum rbis novæ, lateres coctiles t, quæ est ipsa veterum Seleu- Neque tamen ita Baby- s multa compareant ea lati- wohl sechs Carossen neben einan- 2. Nec dubium quin idem non erat, quod huic operi difficile, si non impossibile. nenta tandem evanescunt, si- olent. Magnus quidem Sca- o 1037. solo æqvatum ur- mate de hac re egimus. num ætates incolumes præ- à temporum situ tum aeris Ægyptus pluvias sentit, nisi va Nili ostia, quæ apud nos id tamen observatum, in eo duritiem, compagem soluti- qui ex tot Pyramidibus AS m fatetur, cuius Iconem vide onices ratio ista, ut sensim- ia, ut Herodotus dimensus dine in fastigiatum opus ex- t